et hostia esset non tantum pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Item descendit ad inferos, et vere resurrexit tertia die. Deinde ascendit ad Coelos ut sedeat ad dextram patris, et perpetuo regnet et dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum spiritu sancto, qui regat, consoletur ac vivificet eos, ac defendat adversus Diabolum et vim peccati. Idem Christus palam est rediturus ut iudicet vivos et mortuos etc. iuxta Symbolum Apostolorum.

4\. Item docent quod homines non possint iustificari coram deo propriis viribus, meritis aut operibus, sed gratis iustificentur propter Christum per fidem, cum credunt se in gratiam recipi et peccata remitti propter Christum qui sua morte pro nostris peccatis satisfecit. Hanc fidem imputat deus pro iustitia coram ipso Rom. 3 et 4.

5 Ut hanc fidem consequamur, institutum est ministerium docendi Evangelij et porrigendi

Sacramenta. Nam per verbum et Sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus sanctus, qui fidem efficit, ubi et quando visum est deo, in his qui audiunt Evangelium, scilicet quod deus non propter nostra merita, sed propter Christum iustificet hos qui credunt se propter Christum in gratiam recipi.

Damnant Anabaptistas et alios qui sentiunt Spiritum sanctum contingere sine verbo externo hominibus per ipsorum praeparationes et opera.

6 Item docent, quod fides illa debeat bonos fructus parere, et quod oporteat bona opera mandata a deo facere propter voluntatem dei, non ut confidamus per ea opera iustificationem coram deo mereri. Nam remissio peccatorum et iustificatio fide apprehenditur, sicut testatur et vox Christi. Cum feceritis haec omnia, dicite servi inutiles sumus. Idem docent et veteres scriptores Ecclesiastici. Ambrosius enim inquit. Hoc constitutum est a deo, ut qui credit in Christum salvus sit, sine opere, sola fide, gratis accipiens remissionem peccatorum.

7\. Item docent quod una sancta Ecclesia perpetuo mansura sit. Est autem Ecclesia congregatio sanctorum in qua Euangelium recte docetur et recte administrantur Sacramenta. Et ad veram unitatem Ecclesiae satis est consentire de doctrina Euangelij et administratione sacramentorum. Nec necesse est ubique similes esse traditiones humanas, seu ritus, aut ceremonias ab hominibus institutas. Sicut inquit Paulus. Una fides, Unum Baptisma, unus deus pater omnium etc.

8\. Quanquam Ecclesia proprie sit congregatio sanctorum et vere credentium, Tamen cum in hac vita multi hypocritae et mali admixti sint, licet uti Sacramentis quae per malos administrantur, iuxta vocem Christi. Sedent Scribae et Pharisaei in Cathedra Moysi etc. Et sacramenta et verbum propter ordinationem et mandatum Christi sunt efficacia etiamsi per malos exhibeantur.

Damnant Donatistas et similes qui negabant licere uti ministerio malorum in Ecclesia.

et sentiebant ministerium malorum in,
utile et inefficax esse.

9 De Baptismo docent quod sit necessarius ad
salutem, quodqz per Baptismum offeratur
gratia dei. Et quod pueri sint Baptisandi qui per
Baptismum oblati deo recipiantur in gratiam
dei.

Damnant Anabaptistas, qui improbant
Baptismum puerorum et affirmant sine
Baptismo pueros salvos fieri.

10 De Coena domini docent quod Corpus et San,
guis Christi vere adsint et distribuantur in Coena
domini et improbant secus docentes.

11 De confessione docent quod absolutio privata
in Ecclesijs retinenda sit quanquam in con,
fessione non sit necessaria omnium delic,
torum enumeratio. Est enim impossibilis
iuxta psalmum Delicta quis intelligit.